

1463 tum celeriter traductum. Nulla hic mora fuit: sed citato agmine Æstensis, penes quem copiarum omnium fuit imperium, Argos duxit. Fuit ea urbs inter reliquas Græciæ, & origine sua domicilioque, & arce Regum vetustissima, insignis. Oppidum modico negotio captum, militi diripiendum datur. Barbari, qui perpauci præsidio erant, in arcem trepide confugerant. Biduo postquam eo ventum erat, quingenti Turcorum equites circa oppidum impetum in nostros fecere, tumultuarioque certamine injecto, centum milites & amplius obtruncavere, & in his Martinum Dalmatam, qui honestum in Venetis castris ducebat ordinem. Quidam id prælium eo die, quo oppidum captum est, commissum affirmant, nec ulla maiore clade accepta, subito diremptum. Qui in arce erant, haud multo post deditionem fecere. Sacerdos qui urbem Othomano dederat, loco deprehensus, confestim trucidatus est. Bertoldus, trecentis Cretensisibus sagittariis ad præsidium relictis, Neapolim copias reduxit. Ajunt quidam, in recessu quoque tumultuarium cum hoste prælium commissum, paucissimisque utrinque amissis, signum receptui datum. Brevi post Venetus dux ex Neapoli cum quindecim millibus hominum profectus, primis castris ad Basilium confedit: oppidoque sub primum accessum capto, postero die per Corinthiacum agrum ad Isthmum pervenit, atque circa Saronicum sinum castra primo munita. Aderat Alovifius Lauretanus cum valida classe: averfa Isthmi parte jam antea, ut dixi, præsidium fuerat impositum, sexque proximo loco triremes stationem habebant. Continuo igitur (nam ad hoc ipsum navales terrestresque copię eo admotæ erant) arduum opus aggressi, miro quodam studio & ardore, quindecim dierum spacio totam Isthmi longitudinem, quæ ab Ægeο ad Ionium quatuor habet passuum millia, quamquam murorum ambitus aliquanto eam reddit ampliorem, muro & duplici fossa munivere. Triginta hominum millia eo loco operata dicuntur. Sed non tam numerus, quam materies quæ parata erat, effecit, ut immensum alioquin opus tam cito consummari contigerit. Jacebant veteris stru-

*Isthmum  
Veneti mu-  
niant.*